

didit Auctor Organi, vel potius insinuavit, praxin brevissimam operandi per Quadratum Geometricum pendulum. Singula explicat idem Auctor in peculiari Libello per exemplamagis (uti & Arithmeticas praxes in Arithmetico Libello) quam per precepta. Eadem, & alia insuper ad Geometriam practicam per umbras rerum, per Quadrantem & Quadratum Geometricum, nec non per alia facilissima instrumenta exercendam spectantia, dabimus paulò post in uberiori Instructione; ubi prius Tabellas ad hoc secundum Loculamentum spectantes, unà cum Auctoris Instructione pramiserimus. Sit itaq;

PARS PRIMA:

Explicatio Loculamenti secundi Geometrici.

CAPUT I.

Tabella Loculamenti secundi, pro operationibus Geometriae practicae.



IN Loculamento secundo, litterâ B signato, continentur Tabellæ, quas appositus hîc Iconismus IV. exhibet. Sunt autem sequentes.

Primò. Tres Tabellæ albo colore imbutæ in frontibus, ut discernantur ab aliis colore alio imbutis. Harum utraque facies, anterior videlicet & posterior, signata

Vide Iconismum IV.

Tabella Loculamenti secundi.